Ioh. Casp. Suicerus Symbolo Niceno-CPtano exposito et ex antiquitate ecclesiastica illustrato; seorsim edito libello 2da vice Trai. ad Rhen. 1718. in 4. Alph. 2. pl. 9½. disserit Capite VIto. de Creatione ac de Angelis speciatim fusius agit. Cur Moses in Historia Creationis nullam iniciat angelorum mentionem, duas adfert causas ex Graecis Patribus. Ostendit qq. Gregorium Nazanzenum, Damascenum, Basilium, Caesarium, et ex Latina Ecclesia Hilarium, Hieronymum et Ambrosium, statuisse, Angelos ante mundum fuisse creatos. Putat tn. Suicerus hanc opinionem partim loco Jobi XXXVIII. 7. perperam intellecto niti, partim e Schola Platonica petitam esse. Ipse assentitur iis, qui primo die conditos fuisse Angelos credunt. Notat hinc errorem Patrum complurium, quem admiserunt, Genes. VI. 2. per filios dei cum filiabus hominum congressos, capientes angelos; eamq. interpretationem refellit ex Patribus aliis acutius cernentibus. Nec minus de Angelicorum haeresi, q in priscis occurrunt monumentis exprompt.

De Angelis consul. Martinus Chemnitius in Locis Theologicis. it. in Miscellaneis excerptis p. 11. 12. seqq. ubi et de Michaele Archangelo specialia. Adde Pag. 23. it. Pag. 53.

De Festo Michaelis.

Cast. Caluoer Ritual. Ecclesiastico P. II. Sect. II. Cap. 38.

Sub finem Secul. V. in monte ~~S. Gelo~~ quodam Apuliae, Gargano, cryptam inventam ferunt quae cum ex Archangeli apparitione, quae et Romae facta fuerit, per orbem Christianum valde inclaruerit, in honorem S. Michaelis consecrata crebrisque peregrinationibus frequentata fuerit. Apparitionem a. illam in publica sacra quotannis referendam duxit Gelasius, A. C. 493. Quamvis a. Φανερώσεως istius Michaeliticae nulla vestigia apud coaevos scriptores probatae fidei compareant, nihilominus quum ann. Ecclesiastici quadrantem tertium, Autumnalem puta, haud inepte festum hoc notet, revolutionemque tempestatis annuae, quae tum fit, solennitate quadam, ceu et religiosis tribus anni revolutionibus fit, celebret, retinet festivitatem istam Ecclesia Evangelica, deque pro custodia Angelorum secundum antiquum ritum, gratias agit, deq. continuatione eius supplicationes allegat. Conf. Quenstedt. Antiqu. Sacr. p. 892. et Hildebr. de dieb. festis.